Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26410
Copyright: Admont, Benediktinerstift

9

forma materie coniuncta. mathematica sine motu inabstracta.

ma coniuncta. Alia uero speculatio que naturarum inabstractas formas aliter quam sint et abstracte considerat, et sine quo illud facit, grece quidem mathematica, latine disciplinalis uocatur. Recte utique. Cum enim sint inabstracte, id est cum non in concretione non sint, quod tamen ibi sint oportet intelligi. Neque enim rationalis speculatio perfecte id quod est esse aliquid capit, nisi disciplinalis quoque id unde illud est quod sit firmiter teneat. Verbi gratia non comprehendit ratio quid sit esse corpus et esse coloratum et esse latum, nisi disciplina quid sit corporalitas, quid color, quid latitudo cognoscat. Quod fieri non potest, nisi hec inabstracta atque concreta et ab eo in quo sunt et a se inuicem abstrahat et discernat. Ex hoc igitur quod inseparabilia ad hoc separat ut eorum natura perspicacius et proprietas ualeat comprehendi, mathesis siue disciplina uocatur. Inabstracta quidem, eo quod inseparabilia sunt que nisi separatim non perspicit.

hec enim formas corporum speculatur sine materia ac per hoc sine motu que forme cum in materia sint ab his separari non possunt.

Hec enim formas corporum speculatur sine materia. Non dico speculatur esse sine materia, sed speculatur sine materia, sine motu tamen. Si enim concretio his que sunt confert motum, conuenit ut separatio his exceptis sed tollat motum, non tamen quod mobilia careant motu. Sic inabstracta non possunt abstrahi, sed quod sic dictum est, mathesis ea sine materia speculatur, ac per hoc speculatur sine motu. Rei enim actus formas semper continet inabstractas. Unde supponit: que forme cum in materia sint, id est in corporibus, ab his corporibus separari non possunt. Ideoque quod mathematica speculatio dicitur inabstracta, ab actu rei quod non sine motu, a modo uero speculandi mathematica denominatio est. Tercia uero speculatio que omnia naturalia transcendens in ipso eorum quibus principio, scilicet uel opifice qui auctor est, uel ydea atque tamquam exemplari deducta sunt, uel Yle in qua locata sunt, figit intuitum per excellentiam intellectualis uocatur. Quod enim simplex semper sine motu est et semper est, ueri percipitur. Quod uero uel rationali opinione, immo opinabili ratione, quod non semper et in motu sunt, sensibilia sunt, percipi possunt. Ut disciplinali eedem forme inabstracte ideoque in motu separari atque sine motu possint attendi. Ab ipsa autem rei que percipitur natura theologica et a proprietate sine motu inabstracta atque separabilis cognominatur. Recte utique.

theologica sine motu abstracta atque separabilis. nam dei substantia et materia et motu caret. in naturalibus igitur rationabiliter, in mathematicis disciplinaliter:

Nam dei substantia, id est deus uel diuinitas, et materia caret et motu, id est nec deus nec ei essentia preter esse materia. Neque enim ea que ipse est essentia, que grece usia dicitur, preter esse non simplex, neque in eo eidem essentie adesse aliud aliquid preter quod ipse sit. Non enim deus simplex esset, si uel ei essentia constaret ex multis essentiis, uel eidem forme adessent in illo. Quorum uel ipse deus uere esset, uel ei essentia ratione diceretur substrata materia. Et hec quidem est ex rerum que percipiuntur diuersitate speculationum diuersitas. Quamuis igitur rerum speculationibus subiectarum aliquae sint rationes communes, plurimas tamen proprias esse necesse est. Ac per hoc si in naturalibus que sic sunt percipi debent, scilicet concreta et inabstracta, oportebit philosophum uersari rationaliter, ut scilicet compositio nominis quo id quod est significatur et id quo